



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.32. S. Ludovici Regis in Palæstina occupationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.
A. C. 1251.

§. XXXII.

S. Ludovici Regis in Palæstina occupationes.

Joinv. p. 88. Rex S. Ludovicus interim in Palæstina curabat, ut Duces Ægyptii pactum cum ipso initum exequerentur. Quosdam identidem captivos ei remittebant: permultos vero pecunia, jam sexcentos, jam septingentos simul redemit: denique, quotquot in Ægypto per viginti annos capti fuerant, liberavit: & quæ in Palæstina Christiani tenebant, loca, scilicet Ptolemaidem, arcem Hiffæ seu Caisæ, Cæsaream, Joppen ac Sidonem, suis sumptibus reparari munirique iussit.

Duchesne p. 404.

p. 469.

p. 359.

p. 456.

Pridie festum SS. Virginis ab Angelo salutatæ 24 Martii 1251 religionis causa Nazarethum petens, vix sacrum hunc locum procul viderat, cum equum relinquens in genua procubuit, ac reliquam deinde viam pedes confecit, quamvis ea die nullo præter panem & aquam cibo potuve sumpto magnopere defatigatus esset. Pomeridianam & antelucanam divini officii partem, sacrumque solenniter cantari voluit, quod peregit Legatus Odo Castro-Radulphinus, & pium habuit sermonem. Rex pretiosa varii coloris ornamenta pro ratione dierum festorum singulari quadam cura gerere solebat.

Nazare-

Nazaretho Cæsaream 28 Martii profectus, *Sæcul. XIII.*
 ibi reliquam ejusdem anni, & aliquam *A.C. 1251.*
 sequentis partem traduxit, illam muni-
 tionibus sepiendo præcipue occupatus. *Sanut. p. 220*
Joinv. p. 89.

Paulo post, quam eo advenerat, Fra-
 tres Prædicatores, quos duobus abhinc
 annis in Tartariam miserat, redierunt,
 nempe Andreas Longogeminus ac ejus
 socii. Ut narrabant, a Cypro in portum
 Antiochiæ advecti, inde ad locum usque,
 ubi Tartarorum Canus agebat, in iter an-
 num totum insumpserant, per diem tri-
 cies mille passus emetiendo. Omnis re-
 gio, quam peragrabant, Tartaris parebat,
 ac sæpenumero in urbibus & pagis gran-
 des humanorum ossium acervos vide-
 bant. Cajuc-Canus mortem obierat,
 cum advenerunt, ejusque vidua regnum
 administrabat usque ad electionem, quæ
 Bato tanquam familiæ natu maximo de-
 lata fuit. Is Moncacam, alio nomine *Abulfar.*
 Mangum, qui Ginguis-Caninepos, ut ipse *p. 326.*
 erat, elegit anno Epochæ Arabicæ 649,
 Christi 1251. Fratres Prædicatores illius
 electioni aderant, & honorifice excepti
 novum Canum Christianis satis faventem
 experiebantur: sed de Ercalthajo,
 cujus epistola S. Ludovico allata fuerat,
 nihil audivere. Ex horum relatione Rex *ap. Rayn.*
 Papæ scripsit, multos Tartaros accepisse *1253. n. 49.*
 baptismum, & plures idem facturos, si
 docerentur fidem.

Sæcul. XIII.

A.C. 1251.

Califæ potentia, addebat, facit, ut regio paucissimos habeat Episcopos. Ex re proin esset, si quidam Fratres Prædicatores Minoresve consecrarentur in Episcopos, & illuc mitterentur, ut Sacramenta Episcopos exigentia conferre, atque legibus ad matrimonia & jejunia spectantibus solvere possent.

§. XXXIII.

*Querelæ de Papa.**Chr. Matth. Spin.**Matth. Par. p. 713.*

Cæfareæ S. Ludovicus scripsit Reginæ matri, fratribus suis, & subditis, celerè militum, commeatus, ac pecuniæ subsidium poscens. Illa acceptis litteris omnes Regni Nobiles convocavit, ea de re consulendos: qui libere conquerebantur de Papæ ratione agendi, novum in orbe Christiano bellum excitantis. Nam Conradus Imperatoris Friderici filius a mense Majo hujus anni 1251 Italiam intraverat, possessionem Siciliæ aditurus: & a Venetis classem nactus, 26 Augusti ad Pescariam exscenderat. Cuncti provinciæ Proceres ipsi obviam cum iissent, omnes copias suas in Comites Aquinatem ac Soranum Papæ adhærentes duxit, & die S. Martino sacra eis cladem attulit. Papa vero expeditionem sacram in Conradum præsertim in Brabantia, Flandria, & Gallia promulgari curabat cum